

§. 2. Et post factum inter eos superinde judicium, postquam Majestas Sua Regia, etiam hoc modo condemnatos agnoverit; et deinde in ipsa expeditione proxime affutura, et aliis quoque in rebus, ac factis, Majestati Suae et Regno quospiam bene, fideliter, utiliterque servivisse agnoverit; illis tandem Majestas Sua, juxta voluntatis suae beneplacitum (si pro se non servaverit) illa conferat:

§. 3. Ut spe collationis bonorum, servidores animati, pro Reipubl. et communi bono Suae Majestatis et Regni sui, ferventius incumbant; et contra hostes ad mortem usque decertare non horrescant.

FERDINANDI I. IMPER. & REG. CONSTITUTIONES IN DIAETA BUDENSI

ANNO 1527.

Factiosis, terminus ad veniendum in fidelitatem Regiae Majestatis, assignatus.

A r t i c u l u s 1.

In primis conclusum est: Ut nonnulli Nobiles, qui partes Waywodae sequuntur, et cum eo in Partibus Transylvanicis agunt:

§. 1. Et item Simon, Episcopus Zagrabiensis, Joannes Bánffy de Alsó Lindva, Antonius similiter Bánffy de Bolondok, Joannes de Tah et Franciscus de Homonna, qui soli ex ordine Dominorum utriusque status ad praestandam fidelitatem Regiae Majestati debitam, hactenus ad Suam Majestatem venire noluerunt.

§. 2. Generaliter vero, omnes Comites Parochiales hujus Regni et Partium sibi subjectarum, ipsam fidelitatem et obedientiam, praefato Domino Nostro clementissimo declarandam; ad festum Beatae Catharinae Virginis et Martyris, coram Sua Majestate sese praesentare debeant et teneantur.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM III. ANNI 1536.

Assessores etiam, in consilium admittantur.

A r t i c u l u s 48.

§. 2. Quos denique; et cum eis simul etiam ex Sclavonia unum, qui ex potioribus ad id fuerit electus; Majestas Sua Regia non gravabitur in tractibus pacis suo tempore admittere.

Banus in Regno Sclavoniae praeſiciatur.

A r t i c u l u s 50.

Item, in Regno Sclavoniae, pro ejusdem Regni defensione et tranquillitate publica restituenda; et ut ibi quoque omnia suo ordine gerantur; Majestas Regia curabit mature de Bano praeſiciendo providere.